



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 114. Responsum Papæ ad orationem Parisiensis Episcopi

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

His peractis summus Pontifex diem con-  
stituit, quo publicum ac solemne Lega-  
tis concederetur alloquium. Ast cum  
eo die Papa adversa valetudine preme-  
retur, officiosa hæc salutatio usque ad vi-  
gesimam primam Novembris, quæ erat  
feria quarta, differebatur. Ea die Epif-  
copus Parisiensis ceterorum nomine ver-  
ba fecit, oratione ferme ad duas horas  
protracta, qua in totidem partes divisa,  
in laudes Regum Franciæ, Majorumque  
suorum copiosius excurrebat, ingensque  
eorum pro vera fide studium, atque im-  
motam erga Apostolicam Sedem obe-  
dientiam deprædicabat. Commemora-  
bat quoque exantlatos in tollendo schis-  
mate labores, virtutesque, quibus ipsi  
gloriosum *Christianissimorum* Regum no-  
men emeruerunt: Egit insuper in reli-  
qua orationis suæ parte idem Parisiensis  
Episcopus de regno Neapolitano, & Ge-  
nuensium causa. His propositis finem  
dicendi fecit, & nomine Caroli Regis de-  
bitam summo Pontifici obedientiam ex-  
hibuit, prout ab ejus Prædecessoribus  
Franciæ Regibus deferri consuevit.

## §. CXIV.

*Responsum Papæ ad orationem Pari-  
siensis Episcopi.*

Absoluta oratione, cum summus Ponti-  
fex

Q q 2

fex

Sæcul. XV.  
A. C. 1459.

*Labb. Coll.*  
*Conc. to. 13.*  
*p. 1751. &*  
*1765.*

fex erecta mente Oratorem excepisset, minus prolixo respondit sermone, quem in sex divisit partes. Primam habuit de se ipso, in qua tamen erat brevissimus, solum ea delibando, quæ Parisiensis Episcopus in Pontificis laudem protulit. In secunda loquebatur de Sede Apostolica, quam prolixa laude commendavit, hæc adjiciens verba: *Arbitramur omnes Principes Catholicos, Ecclesie Romanæ, & Sedi Apostolicæ debere esse subiectos.* In tertia parte egit de pia voluntate, ac studio Regis Francorum erga Romanam Ecclesiam, præcipue in præfenti rerum vicissitudine. Hoc loco extollere cæpit heroica Gallie Regum facinora, atque jam inde a Caroli Magni, imo ab ipsis Clodovei temporibus encomiorum argumenta repetiit, demonstravitque, quam ardenti zelo a Regibus Christianissimis honorata, atque defensa sit eadem Romana Ecclesia, præprimis vero sub hodierno potentissimo Rege, sine cujus auxilio Turcarum impetus reprimi haud posse dicebat. Postea Regnum pariter, Parisiensem Academiam, Ecclesias, ac Monasteria, quæ in Regno sunt, deprædicavit. Quarta orationis pars tangebatur Regem Siciliæ; ast cum in Renati Andegavensis laudem excurreret, tantopere eorum, qui Ferdinando favebant, invidiam in se concitabat, ut hi

hi conventum solvere meditentur: ve-  
 rum iis silentium indixit Pontifex, eos-  
 que audire negavit. Quinto respondit  
 ad Genuensium articulos, quam causam  
 sibi maxime commendatam fassus est,  
 cum Ecclesiæ ditionem, atque patrimo-  
 nium concerneret. Sextum, postremum-  
 que locum occupavit obedientiæ, ac re-  
 verentiæ homagium, quod Christianissimi  
 Regis nomine Parisiensis Episcopus ex-  
 solvit, ac ideo Pontifex & se, & Fra-  
 tres suos Cardinales gratias habere di-  
 xit. Iis a Papa expositis, Oratores Re-  
 gis Siciliæ, assistentibus Franciæ Legatis  
 obedientiam illi præstiterunt, quod idem  
 Genuensis Reipublicæ Delegati velut fi-  
 deles Christianissimi Regis subditi fece-  
 runt. Demum recitatæ sunt literæ po-  
 testatis a Rege Francorum suis Legatis  
 datæ, quæ suasu Cardinalium Estutevil-  
 læ, & Avenionensis ex Gallico in latinum  
 sermonem versæ fuerunt, illasque Pon-  
 tifex summa animi voluptate percepit.  
 His confectis, priusquam Sessio solveret-  
 ur, ad alloquium vocavit Pontifex Au-  
 striæ Ducem, qui ut præsentia sua Lega-  
 tionis honorem auget, ipse publico Pa-  
 trum senatui interesse voluit. Tandem  
 Papa humanissime excepit Galliæ Lega-  
 tos, iisque Palatium suum, in quo ha-  
 bitarent, obtulit.

Sæcul. XV.  
 A.C. 1459.